Fragmentarium

Post tertiam uero lectionem qui cantat dicat gloriam. Quam dum
incipit cantor dicere, mox omnis de sedilibus suis
surgant ob honorem et reuerentiam sanctae trinitatis.
Codices autem legantur in uigiliis. tam ueteris testamenti
quam noui diuine auctoritatis. Sed et expositiones
eorum. que a nominatissimis doctorum ortodoxis
catholicis patribus facte sunt. Post has uero tres lectiones.
cum responsoriis suis. sequantur reliqui sex psalmi.
cum alleluia canendi. Post hos lectio apostoli sequatur ex corde
recitanda. et uersus. et supplicatio letaniae id est
kyriae leison. et sic finiantur uigiliae nocturne.

QUALITER ESTATIS TEMPORE AGATUR NOCTURNA LAUS.

A pascha autem usque ad calendas nouembris
omnis ut supra dictum est psalmodie quantitas
teneatur. excepto quod lectiones in codice
propter breuitatem noctium minime legantur. Sed pro ipsis
tribus lectionibus una de ueteri testamento. memo
riter dicatur. Quam breue responsorium subsequatur.
et reliqua omnia ut dictum est inpleantur. Id est ut numquam
minus a XII psalmorum quantitate ad uigilias nocturnas dic
antur. excepto III et nonagesimo quarto psalmo.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.8, 13r – Regula Benedicti
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-iman/5127/48956)